



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 5. Novi articuli Calninianæ sectæ a Genevensibus procusi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

„provisis, consilium aut auxilium præ-
 „stent in capienda possessione, idque
 „sub pœna suspensionis æque ipso facto
 „incurrendæ. Mandamus etiam sacer-
 „doti, ad quem notitia istarum primo
 „pervenerit, aut alias cuicumque Cle-
 „rico tonsura insignito, ut omnes actus
 „aut alias quidquid ad hujus mandati
 „nostri promulgationem necessarium
 „fuerit, diligenter expediat, aut ex-
 „pediri faciat.”

Sæc. XVII,
 A. C. 1675.

§. V.

*Novi articuli Calvinianæ sectæ a Ge-
 nevensibus procusi.*

Nil magis ridiculum videtur, quam
 quod omnes Sectarii suam fidem a
 Christo & Apostolis continuata serie ad
 ipsos derivari gloriantur, & tamen
 primum eo tempore, quo primi, ut se
 vocabant, reformatores suas sectas
 fabricarunt, habitis inter se discepta-
 tionibus acerrimis de fidei suæ syste-
 mate deliberarint, & quosdam articu-
 los, quos hodie amplectebantur, cras
 tanquam abusus atque errores detestati
 sint, novosque indies procuderint, ob-
 tendentes, quod incæptæ reformatio-
 nis tempore eorum fides in sua infantia
 nondum perfectionem adipisci potuerit:
 ut autem has variationes, quæ fidei
 veræ

Weisman
 Hist. Eccl.
 t. 2. p. 185.
 Claude Faste.
 epist. 2676.
 p. 83. & seq.

Sæc. XVII. veræ adeo repugnant, excusarent, A. C. 1675. plurimos articulos, uti de electione ex fide prævisa, de gratia universali vel particulari, quos olim tanquam fidei suæ summam ac characterem distinctivum profitebantur, postea ad quæstiones theologicas rejecerunt, circa quas *facilius inter varia unius magnæ urbis horologia sit conventurum, quam inter omnes Theologos*, ut scripsit Samuel Maresius: Nihilominus tamen hoc anno eosmet articulos, circa quos Calvinistæ unionem cum Lutheranis pangere intenti, concessa credendi libertate a fundamentalibus segregarunt, Genevensis, Bernensis & Tigurinus Magistratus, ad Helvetiorum preces novis suæ sectæ confessionibus, ac fidei formulis inferuerunt, suisque Prædicantibus mandarunt, ut eis in hæc verba: *ita credo, profiteor, & docebo* subscriberent, ni suo officio, omnique functione Ecclesiastica privari vellent: ita nempe nova eorum fides temporari, Status rationi & Magistratus beneplacito ac mandatis cedere ac deservire cogitur: Eadem libertate hoc quoque anno Genevenses fidei professionem edidere, in qua decretum anno hujus sæculi quadragesimo nono confirmarunt, simulque sequentes duos articulos eidem addiderunt. I. *Imputatio peccati Adami antecedit*

corruptionem. II. In ordine Divinorum Sæc. XVII.
 Decretorum Missio Jesu Christi est post de- A. C. 1675.
 cretum Electionis. Hanc vero novam
 fidem fabricandi licentiam acriter Ge-
 nevensibus Calvinistis exprobrabat Clau- Vid. supra
 dius Præco itidem Calvinianus, par- lib. 199.
 tim quod in punctis non solius discipli- §. 129.
 næ, sed ipsius doctrinæ natura immuta- p. 432. t. 60.
 bilibus variationem inducere ausi sint,
 partim quod tanta, & inaudita severi-
 tate horum articulorum subscriptionem exe-
 gerint, ut non modo suos Prædicantes,
 sed etiam externos dudum in ministerio
 constitutos eis subscribere coegerint, proin-
 semetipsos hi Theologi Genevenses damnent,
 acsi hæctenus pacem injustam coluissent cum
 iis, quibus bellum declarare oportuisset.

§. VI.

*Propositiones ex libro Patris Lamy
 depromptæ. atque ab Andegavensi
 Universitate censuris notatæ.*

Elucubraverat Bernardus Lamy Sa- Argentre
 cerdos Congregationis Patrum Ora- t. 3. Collect.
 torii de morali disciplina quatuor dis- Jud. p. 340.
 cursus, quos Andegavensis Academiæ
 Magistris examinandos tradiderat: Hi
 vero die decima nona Octobris decla-
 rarunt, se in illis reperisse plures te-
 merarias propositiones, terminosque
 Monarchis, Principibus, Gubernato-
 ribus

Hist. Eccles. Tom. LXIV.

B ribus